

- quoddam, scilicet *secunda*, vel *ulterior*, quod necessarium non est, ut *infra* dicitur, nec supplet verbum illud, & in casum non aditæ hereditatis concipitur.
- Superior autem diffinitio ex genere constat, & differentis, ut Jason, & superiores ostendunt. Inter alia tamen prætermittendum non erit rectè dictum; *Secunda institutio*, sive *secunda*, sive *tertia*, aut *quarta*, & deinceps; nam testator plures gradus institutionis facere potest, & ille omnis dicitur substitutus, qui habet ante se institutum, sive sit primus institutus, aut secundus primo substitutus, per text. in §. I. *instit. de vulgari substitutione*: ideo dixi necessarium non esse verbum, *Sive ulterior*, quod per Pichardum adjicitur, aut suppletur, & consequenter (quod alius hucusque non animadvertit) cessare præcipuam rationem, quam contra communem diffinitionem consideravit Leonius *de substitut. cap. I. de vulgari, n. 13.* deinde rectè adjecta illa verba. *Et in casum non aditæ hereditatis concipitur*: Quoniam substitutiones omnes vulgares statim aditæ hereditate expirant, l. *post aditam, l. precibus, C. de impuberum*: quod in simili non malè animadvertit Antonius Fumeus *dict. tractatu vulg. substit. numero 9.* Item etiam in casum non aditæ hereditatis rectè dictum; ut comprehendantur omnes casus, in quibus substitutio vulgaris verificari potest, ut quia institutus non nolit, repudiando; vel quia adire non possit, morte præventus, vel aliter quocunque modo, ut in alterius diffinitionis explicatione cum judicio animadvertit Leonius *capite I. de vulgari, numero 17.*
- 19 Elegans etiam est, & facilè defendi potest alia diffinitio, quam Petrus Gregorius Tholosanus in *Synagmate juris, lib. 42. cap. 12. in princ.* non malè consideravit, dicens, quòd, *Vulgari, est substitutio directa, sine aliquo speciali, facta in locum & subsidium instituti.* Et verba illa sine aliquo speciali, utrumque demonstrare, hoc est, quòd à quolibet & cuiuslibet fieri possit, & ab idoneis tantum fieri posse, separantque à pupillari, exemplari, & militari, ubi specialia inveniuntur, in prima pupilli, l. 2. ff. *de vulg. & pup. substit.* in secunda furiosi, l. *humanitatis, C. de impuberum*, in tertia milites, l. *milites etiam, ff. de militari testamento.* Et hæc de hoc capite: quod, & nonnulla etiam quæ ad Assertionem libri primi pertinent, ideo hoc libro scribenda duxi, in finitibus aliis prætermittis, ut qui Assertiones easdem jam prælegerit, sibi certus sit, in ipsarum explicatione & compositione, non mediocriter me infudasse, omniaque ad eas pertinentia, sic ex proposito evoluisse, ut infinitis utriusque juris Authoribus originaliter, & maturè antè prælectis, facilè, ut ibi dixi, quamplures libros scribere potuissem, si ea attingere non contemnerem, in quibus alii ex professo scripserunt, si etiam in aliorum explicatione impeditus non existerem, quæ non ita vulgaria sunt, sed extraordinaria, nec ab aliis sic dilucidè enucleata.

## CAPUT XI.

## De Filiis ex putativo matrimonio procreatis.

Filii nati ex matrimonio putativo bona fide contracto, an, & quando ex præsumpta testantis voluntate, vel ex juris dispositione comprehendi dicantur, ut in fideicommissis, & primogeniis, etiam exclusis aliis filiis ex legitimo matrimonio natis succedant? ubi de matrimonio putativo dicuntur nonnulla: Decii sententia, quam Socinus junior, & alii tumentur contra Curtium juniorem eleganter, & novè defenditur; & congestis in unum, quæ ab aliis in mille locis erant scripta, res ista dilucidè, & distinctè magis, quàm hæcenus explicatur.

## SUMMARIUM.

- 1 Filii nati ex matrimonio putativo bona fide contracto, hoc est, ambobus, vel altero conjugum, probabili facti ignorantia, impedimentum ignorantibus, legitimi sunt, quamvis postea detectum fuerit impedimentum: idque respectu utriusque parentis.
- 2 Prout hoc num. latissimè explicatur remissivè, & in proposito congeruntur permulti, qui de matrimonio putativo scripserunt plenissimè.
- 3 Filii ex matrimonio putativo nati, verè & propriè legitimi sunt. Primò, sive verè, sive præsumptivè conjuges ignoraverint impedimentum.
- 4 Secundò, etiam si unus tantum ex conjugibus impedimentum ignoraverit.
- 5 Tertio, quoad omnes effectus, dignitates, honores, spiritualia, temporalia, feuda, emphyteutica, fideicommissa, successiones ab intestato, atque ex testamento, tam parentum suorum, quàm etiam consanguineorum, & aliorum conjunctorum.
- 6 Quarto, ut in aliquo, à cæteris filiis legitimis non differant.
- 7 Quintò, ut ignorantia in dubio præsumatur, quando non constat de scientia.
- 8 Sextò, matrimonium putativum ad effectus predictos tunc dici, quando verè & solemniter contractum fuerit, prout hoc num. declaratur ubi agitur de intellectu text. in cap. cum inhibito, de clandestina desponsatione.
- 9 Filium primogenitum, natum ex matrimonio putativo bona fide contracto, in Majoratu succedere, ac etiam excludere alios filios ex legitimo matrimonio procreatos, cum Majoratus simpliciter institutus est, prout hoc num. & seqq. declaratur.
- 10 Filios ex matrimonio putativo natos, substitutum excludere, ac facere deficere conditionem, quando testator sic dixit: Et si hæres meus decesserit sine filiis, substituto Titium.
- 11 Filium primogenitum, ex matrimonio putativo natum, succedere in Majoratu, tam respectu ultimi possessoris, quàm aliorum conjunctorum.
- 12 Filios ex matrimonio putativo bona fide contracto, succedere etiam in Majoratu, qui ea lege, aut conditione institutus sit, ut non nisi filii legitimis aut legitime natis, vel ex legitimo matrimonio procreatis deferatur, & n. seqq.
- 13 Filium natum ex matrimonio putativo, legitimum dici, ut substitutum excludat, cum testator dixerit: Et si hæres meus decesserit sine filiis ex legitimo matrimonio natis, substituto Cajum.
- 14 Filii nati ex matrimonio putativo, an in fideicommissis, & primogeniis succedant? ad que sitii legitimi, vel ex legitimo matrimonio procreati vivuntur: latissimè actum à Socino juniore in consil. 39. ex num. 18. cum seqq. & in consil. 63. per totum, vol. 3. & ad eum omnimò confugiendum esse in hac questione, nihilominus tamen, nonnulla adjicere, & rem hanc latius explanare, ideo coactum Authorem, quòd Scribentes hujus Regni, qui de primogeniis tractarunt, breviter nimis se habuerint, nec debitam disputationem præfato dubio tribuerint.
- 15 Alii vero, tam exteri, quàm hujus Regni Authores nunquam radicem, & fundamentum istius dubii, sed solos ramos, & umbram tetigerint, & ibidem de sententia Curtii junioris à communi opinione dissentientis.
- 16 Decium, ac ejus sequaces, in confirmationem resolutionis tradite supra num. 12. & 13. quatuor in effectu adducere fundamenta, ex quibus sufficienter non probatur eorum conclusio, prout hoc num. demonstratur.
- 17 Decii sententia validissimo fundamento munita.
- 18 Pro sententia Decii, secundum fundamentum adducitur.

- 19 Decii resolutio concludentratione confirmata, & infra num. 22. & 23.
- 20 Curtii, & Alexandri solutiones rejectæ.
- 21 A verbis legis, ad verba testatoris, validum est argumentum.
- 22 Provisio facta à testatore per viam dispositionis in uno casu, comprehendit alium omnimò similem, & eandem effectum habentem; idque ex verisimili dispositionis voluntate.
- 23 Conditio quando est necessaria ad actum, vel ad effectum actus, permittitur extensio ad alium casum; & sic impleri potest per equipollens.
- 24 Matrimonium putativum, simpliciter & absolute loquendo, licet non sit verum matrimonium, nec etiam legitimum, sed invalidum propter impedimentum, tamen quoad hunc effectum legitimitatis filiorum, & successione eorum, ut matrimonium legitimitatem producere possit, habilitatur, & legitimum & validum efficitur, prout latius hoc num. declaratur.
- 25 Curtii junioris præcipuum fundamentum contra Decium adducitur, & num. sequent. usque ad num. 29.
- 26 Legitimum per rescriptum Principis, verè, non sicut legitimum esse, & vide infra, num. 29. ad finem.
- 27 Legitimus substitutum excludit, & conditionem facit deficere, si testator dixerit: Si hæres decesserit sine filiis legitimis & naturalibus.
- 28 Legitimus non excludit substitutum, quando testator dixerit: Et si decesserit sine filiis legitimis & naturalibus legitime natis, vel ex legitimo matrimonio.
- 29 Curtii junioris præcipuo fundamento contra Decium, optime, ac verè satisfactum.
- 30 Curtii junioris, ac sequacium fundamentis nonnullis respondetur.
- 31 Curtii contra Decium triplex argumentum, breviter & verè dissolutum.
- 32 Contra Decium, 6. & 7. fundamentum adducitur, & num. seqq. eleganter respondetur illis.
- 33 Inter matrimonium verum, & putativum, cum sint multa differentia, si enunciat matrimonium simpliciter, non sufficit figura matrimonii, quia non semper eundem effectum operantur; secus, si matrimonium enunciat ad unum effectum, qui ex utroque pariformiter resultat: tunc enim matrimonii figura sufficere.
- 34 Matrimonio vero concessa privilegia, aliquando non competere matrimonio putativo, & infra, num. 40. in fine.
- 35 Nihilominus tamen, inter matrimonium verum, & putativum equiparatio admittitur, ubi comparant respectu unius effectus, qui ex utroque pariformiter resultat.
- 36 Et aliquando etiam, privilegia concessa matrimonio vero, & matrimonio putativo competunt: mulierque in matrimonio putativo habere solet privilegia doti concessa.
- 37 Privilegia respicientia exactionem dotis, habere locum in dote putativa, remissivè.
- 38 Privilegium tacite hypothecæ, competere dote putativa, remissivè.
- 39 In dote putativa, locum habere privilegium l. in rebus, 30. C. de jure dotium, remissivè.
- 40 In matrimonio putativo, locum habere communicationem lucrorum, remissivè.
- 41 L. finalis, C. de his qui veniam ætatis impetraverunt, contra Decium expenditur, & hoc num. respondetur eidem.
- 42 Filios ex matrimonio putativo natos, in Majoratu non succedere, si institutor ad successionem dumtaxat invitaverit eos, qui ex vero matrimonio nati sunt.

Pro expedita hujus Capitis explicatione, in primis constituere, atque præmittere necessarium erit: Quòd filii nati ex matrimonio putativo bona fide contracto, hoc est, ambobus, vel altero conjugum, probabili facti ignorantia impedimentum ignorantibus, legitimis sunt, quamvis postea detectum fuerit impedimentum: idque respectu utriusque parentis, cap. *pervenit*, ubi Glossa, Abbas, Hostiensis, Butrius, Anchranus, & cæteri, cap. *ex tenore*, qui filii sunt legitimi, ubi sic communiter concludunt omnes, & latius confirmantes, ita adnotarunt Abbas in cap. *cum inhibito*, num. 4. de clandestina desponsatione, Baldus in l. qui contra, C. de incestu nuptiis, Jason in consil. 159. n. 1. per totum, & in consil. 168. n. 4. lib. 4. Antonius Gabriel commun. *concl. tit. de legitimit. concl. 4. in princ.* Tiraquellus in l. si unquam, verbo, donatione largitus, num. 141. C. de revocandis donat. & de legibus communalibus, gloss. 8. n. 25. cum seqq. Dueñas in regula 350. Parisius in consil. 15. n. 44. lib. 2. Grammaticus consil. civili, 56. col. 2. Rolandus in consil. 93. n. 18. & seqq. lib. 2. Paleotus de nobis & spuris filiis, cap. 9. a princ. Covarruv. de Sponsalibus, l. part. §. 1. n. 1. & 2. Cephalus in consil. 82. num. 61. lib. 1. & in consil. 390. num. 16. & num. 44. 45. & 46. lib. 3. & in consil. 307. num. 59. & seqq. lib. 3. & in consil. 444. num. 7. lib. 4. & in consil. 647. ex num. 1. atque ex num. 12. lib. 51. Menochius in consil. 15. num. 1. lib. 1. & in consil. 199. n. 35. & 39. & num. 40. in fine, & 41. lib. 2. & præsumpt. lib. 4. præsumpt. 77. in princ. Tellus Fernandez in l. 6. Tauri, n. 8. & 9. & ibidem Cervantes num. 9. & n. 18. & seqq. & Avendañus gloss. 1. num. 2. 3. & 6. Colta in cap. si pater, de testamentis, in 6. in 1. part. in verbo, uxorem, per tot. Matienzus in l. 10. tit. 8. gloss. 4. n. 3. & in l. 2. tit. 9. gl. 1. num. 4. usque ad num. 7. & in rub. tit. 1. de matrimonio, num. 115. & 116. ubi allegat. l. 1. tit. 13. & leg. 2. tit. 15. part. 4. l. 4. tit. 6. lib. 3. fori. Molina, Mieres, Menchaca, Alvaradus, & Alexander Trentacinius, quorum statim specificam mentionem faciam. Joannes Gutierrez. *practic. lib. 3. quest. 74.* Caldas Pereira de nominat. emphyteu. *quest. 21. ex n. 42. cum seqq.* Cavalcanus de usufructu mulieri relicto, num. 230. & 231. latè & utiliter Joannes Vincentius Honded. in consil. 87. a princ. lib. 1. Marcus Antonius Peregrinus de fideicommissis, art. 24. ex n. 65. cum seqq. usque ad num. 79. fol. mihi, 231. Cævallos *practic. commun. quest. 697.* ii Authores de matrimonio putativo scripserunt plenissimè, & superiore doctrinam latius declarant, ut penes ipsos videri poterit: sufficere hic querendi, & congerendi labore Lectorem excusare, ac etiam nonnullis aliis scienter, consultorèque prætermittis, dumtaxat (quod ad inferius dicenda prætermitti non potest) constituere, præfatum doctrinam procedere.

Primò, sive verè, sive præsumptivè conjuges ignorant impedimentum; utroque enim casu, filii ex matrimonio putativo nati, verè & propriè legitimi sunt, ex Authoribus relatis supra, & communi Scribentium sententia in *dict. cap. pervenit*. & in *d. cap. ex tenore*.

Secundò, ut dixi, etiam si unus tantum ex conjugibus impedimentum ignoraverit, ex eisdem juribus, & Authoribus, sic ut in hoc nullus adhuc dissentiat.

Tertio, quoad omnes effectus, dignitates, honores, spiritualia, temporalia, feuda, emphyteutica, fideicommissa, successiones ab intestato, atque ex testamento, tam parentum suorum, quàm etiam consanguineorum, & aliorum conjunctorum: quod unanimiter etiam probaverunt Doctores, atque ex communi, Tellus Fernandez, Matienzus, Avendañus, Cervantes, Joannes Gutierrez, & alii relati supra.

Quarto, ut in aliquo à cæteris filiis legitimis non differant. Glossa, & Communis in *dict. cap. ex tenore*, Jason in *dict. consil. 156. n. 3.* Decius in *consil. 153. num. 1.* & in *consil. 154. in princ.* Paleotus *dict. cap. 9. num. 14.* Rolandus in *consil. 93. ex num. 18. lib. 3.* & latius probant Joannes Vincentius Honded. in *consil. 87. ex num. 1.* usque ad n. 10. Peregrin. *de fideicommissis, d. art. 24. n. 66.* per tot.